

Phil. V. & N. in Phys. P. II. Diff. II. c. 5. p. m. 383. seq. Huic lunæ motui similis quadantenus est motus mentis, quò ista ex unâ re sese in alteram movet, easque vel conjungit, vel disjungit, prout ab intellectu istæ sunt conceptæ. In præcedentibus actum est, quomodo res simpliciter concipiantur, cum nimirum istarum rerum ideæ in Deo adspiciuntur; verum mens in hoc non acquiescit, sed harum rerum relationem considerando sese movet aliquid affirmando vel negando. e. g. Cum concipimus 3. & 4. separatim, nuda est conceptio; sed quando concipimus 3. & 4. cum æqualitate ad 7. tunc fit judicium, tunc enim mens mea 3 & 4 simul sumpta 7 esse affirmat. Ita etiam cum concipimus ideam Dei & ideam infiniti, est nuda conceptio; cum verò eas consideramus cum relatione ad se invicem v. g. quod Deus sit infinitus, tunc fit judicium. Pari modo si concipiamus 2 & 2. Est iterum nuda conceptio; sed cum concipimus 2 & 2 cum inæqualitate ad 5. tunc fit judicium, & mens nostra negat, bis duo esse 5. Nec aliter se res habet, cum concipimus magnitudinem solis & lunam; huc usq; est nuda conceptio, sed cum concipimus magnitudinem solis & lunam simul, cum relatione ad se invicem, reperimus inæqualitatem; tunc negat mens nostra, lunam tantam esse, quantum est sol.

§. XIX.

Alter lunæ motus est Periodicus, qui lunæ præter jam nominatum libratorium supervenit. Hic fit, cum luna intra $27\frac{1}{2}$ dies cursum suum absolvit, & ad istud punctum recurrit, è quò antea erat egressa. Talis motus etiam nostræ competit menti, nam præter jam memoratum motum judicii, etiam adhuc alius observatur, qui Ratiocinatio, vel unius ex alterò collectio, non inique passim salutatur. Hæc est tertia mentis operatio; an plures dentur, jam excutere non est animus, sed paucis tantum jam allata explicare. Judicium appellavimus eam operationem, cum mens unam rem juxta alteram positam, unâ cum relatione ad se invicem perpendit; Hòc intellectò haud difficile est intelligere, quid sit ratiocinatio. Hæc non considerat relationem duarum rerum uti judicium; sed relationem relationis duarum, trium, vel plurium rerum attendit, cum mens ex relatione unâ vel pluribus aliam relationem elicit. Exempla rem clariorem reddunt. Primum, ubi ex unâ duarum rerum relatione alia exurgit, sit sequens: $8 - 3 = 5$. ergò $5 = 8 - 3$. Hic inter $8 - 3$ est relatio æqualitatis ad 5. Ex quò fluit, quod 5 etiam sint æqualia $8 - 3$, ut ita non tantum relatio, sed relationis alia relatio attendatur. Ita quoque cum dicimus, Deus est sapientissimus: est

Cum motu
re se
comparat
ratio